



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

D E
C H R I S T I A N A
L I B E R T A T E
L I B E R D E C I M V S .

P R O O E M I V M .



Cap. 41.

FORTVNA, ait quidam è seculi sapientibus, duas homini vias ostendit in vita: Alteram libertatis, cuius principium accessu difficile, sed finis planus: alteram seruitutis, cuius facile principium & accessibile, finis autem laboriosus. Templum quoque illud in Ezechiele, angusta principia, latiores autem sensim in altum progressus habet: donec summa tandem in culmine amplitudo constiterit. Quo quidem expresso diuinius templi typo, adumbrata nobis est libertatis via: que per suorum initiorum angustias, ad veræ felicitatis commodissimam latitudinem, illac commeantes, perseverantesque transmittit. Verùm quia plerosq. principia terrent; non difficile fuit, prætextu libertatis, in diuersum abducere, mortiferæque seruitutis vinculis quàm plurimos implicare. Qua in re cùm maiores in dies singulos apparerent prouentus: sacrilega sectariorum audacia non solùm ad euersionem obedientie totiusq. discipline; sed etiam ad summam Religionis iniuriam, libertatis velamen obtendit, consilia dominica sic repudians, sanctissimaque votorum vincula ita rescindens, vt ea negaret cum Christiana libertate posse consistere. Verùm id quoque quanto errore & quàm nefaria assertione statuatur, breuiter est hoc libello demonstrandum.

CAPVT